



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 2. De contractu Matrimoniali & ejus valore

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**



& fæminæ, contractu legitimo & sensibili signo celebratum, quo gratia sanctificans contrahentibus datur, in ordine ad prolis procreationem & alios fines honestos.

## Articulus Secundus.

*De contractu Matrimoniali ac ejus valore.*

I. **C**ontractus Matrimonialis, est legitima traditio & acceptio potestatis in mutua corpora, legitimis signis facta, in ordine ad prolis procreationem, & individuum vitæ societatem. Contractus enim Matrimonialis non dicitur, nisi contrahentes actu potestatem in mutua corpora tradant, & ab invicem illam acceptent, quæ traditio & acceptio, his verbis solet exprimi: accipio te in meam: accipio te in meum.

2. Ad validum tamen & legitimum contractum quatuor requiruntur. 1. Personæ habiles: quæ habilitas personarum consideratur ex potentia Naturali, si nimirum ad actus Matrimoniales, ex naturali constitutione personæ sint aptæ, nec ab actibus

Matri-



Matrimonialibus perpetuo. vel quasi perpetuo impediuntur, hoc porro impedimentum dupliciter evenire potest: tum ratione vasis, aut instrumenti: ut si mulier stricto nimis vase & impedito à copula perpetuo impedita censeatur: & vir virgæ brevitatem ad copulam inneptam laboret. Tum si vir vel femina debito semine careat, itemabilitas personæ oritur, ex potentia naturalis legitimo usu, si nimirum ex aliquo impedimento, actus Matrimoniales prohibiti non sint, quod impedimentum oritur vel ex voto, vel consanguinitate aut affinitate, de quibus infra.

2. Consensus verus liberæ voluntatis: ad quem requiritur liberi arbitrii usus in utroque contrahente. Item: ut de facto libere operentur dum contrahunt, & ut vere in contractum ejusque obligationes, uterque consentiat: hinc excluduntur pueri, amentes, furiosi etiam Ebrii: hi enim pro illo tempore libero arbitrio non utuntur. Item non consentiunt valide qui coactione, violentia, metu in constantem virum cadente, consentiunt. Quia etsi usus liberi arbitrii



arbitrii sint capaces, nihilominus tunc libere non operantur, sicut etiam non consentire censentur, qui intentionem contrahendi non habent, sive etiam qui contrariam voluntatem habent, etsi aliud foris exprimant.

3. Mutua utrimque obligatio: quæ est vinculum debiti mutui in utraque persona & effectus, formalem matrimonii contractum concomitans.

4. Conformitas ad leges divinas: quia validitas matrimonii, ut est Sacramentum vel contractus à Deo institutus, non pendet à legibus civilibus ut civiles sunt, sed solis legibus divinis naturalibus & Ecclesiasticis subicitur, & conformis esse debet quo ad validitatem, potest enim magistratus Civilis, quædam impedimenta ac leges matrimoniis imponere, quæ etsi contractus matrimoniales in foro Dei non annullent, obligant tamen aliquando in foro conscientiæ quo ad culpam, & in foro Civili quo ad pœnam.

Arti-